INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER AESTATEM

A DIE XV. APRILIS ANNI MDCCCLXXXXVI

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT **PROF. DR. FRANC. DITTRICH** COMMENTATIO:
LOVANIENSIUM ET COLONIENSIUM THEOLOGORUM DE ANTIDIDAGMATE IOANNIS GROPPERI IUDICIA.

BRUNSBERGAE.
TYPIS HEYNENIS (G. RIEBENSAHM).
1896.

BRAU (1896)
2

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

DR. IULIUS MARQUARDT,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

Lovaniensium et Coloniensium theologorum de Antididagmate Ioannis Gropperi iudicia.

Notum est Ioannem Gropperum, theologum Coloniensem, ut Lutheri sectatoribus, quibus fides et Christus et imputata per fidem Christi iustitia semper in ore, catholicam de iustificatione doctrinam gratam acceptamque redderet, Ioannis Pighii Campensis vestigiis insistentem duplicem statuisse iustitiam, videlicet iustitiam Christi per fidem apprehensam nobisque imputatam et hanc praecipuam iustificationis nostrae causam, cui principaliter inniti et fidere oporteat, et iustitiam nobis inhaerentem et propriam, imperfectam per se et perfectione indigentem, ita ut ea principaliter niti nec possimus nec debeamus.[1] „Haec, inquit, est proprie sapientia christianorum scire, quod nostra iustitia etiam a Deo nobis infusa non est sufficiens ad salutem nisi suppleta per iustitiam Christi consummatam.“[2]

Quam doctrinam primum docuit in Enchiridio christianae institutionis in concilio provinciali Coloniensi anno 1536 sub Hermanno tum archiepiscopo evulgato[3], titulo de iustificatione hominis, qui tractatui de sacramento poenitentiae insertus est, defendit in colloquio Ratisbonensi a. 1541 et, solo Eccio repugnante, collocutoribus ipsique legato pontificio ita probavit, ut facili negotio assensum

1) Cfr. F. Dittrich, Gasparo Contarini (Braunsberg 1885) p. 660 sq.
2) Defensio Antididagmatis ad art. 4.
3) Editum est Enchiridion Canonibus concilii provincialis adiunctum anno 1538.

praeberent, deinde clarius ac disertius in Antididagmate [4]) exposuit, quod anno 1543 adversus „Reformationem“ Hermanni archiepiscopi nomine a Bucero exaratam emisit, ubi duplicem statuit causam iustificationis formalem, priorem ac praecipuam consummatam Christi iustitiam, quatenus fide apprehensa nobis applicatur, alteram iustitiam inhaerentem. [5]) „Verum Antididagma cum statim, ubi Coloniae excusum fuisset, raperetur a typographis Lovaniensibus rursus excudendum, raptum ibidem est continuo a theologis Lovaniensibus in calumniam, adeo ut non modo eum locum, ubi duplicem illam constituo iustitiam, lectori sua annotatione suspectum reddere voluerint (in margine enim addendum curarunt: cum iudicio legenda sunt haec), sed etiam eius nomine cum theologis Coloniensibus per epistolam acriter satis expostulaverint.“ [6])

Quam Lovaniensium epistolam ex „Registro literarum sacrae facultatis theologiae“, quod in archivio regio Bruxellis asservatur (No. 2897), publici iuris facimus in appendice sub No. 1.

Theologi Lovanienses locos quosdam Antididagmatis quamvis ex sacra scriptura et patribus fideliter excerptos, nihilominus nimium recedere iudicarunt a doctrina patrum ab ecclesia recepta, alios prima statim specie ad sensum Lutheranorum vergere atque accedere, praesertim in capite de iustificatione, ex quo quatuor hosce articulos atro carbone notarunt: [7])

1. Quod scriptura quatuor iustificationis capita includit et imprimis remissionem et ablutionem peccatorum per imputationem iustitiae Christi.
2. Quod per fidem, qua absque dubitatione firmiter confidimus nobis, qui veram poenitentiam habemus, peccata nostra propter Christum esse dimissa (de quo tamen oportet intrinsecus per fidem spiritus sancti testimonio certificatos nos esse) iustificamur tanquam per causam susceptivam.
3. Quod iustificamur imprimis per iustitiam Christi consummatam tanquam causam formalem potiorem, quando eadem nobis per fidem apprehendentem ad iustitiam imputatur.
4. Quod inhaerenti iustitiae, quod sit imperfecta, non innitimur principaliter, sed ea tanquam interiori quodam experimento certificamur, nobis, qui talem renovationem spiritus sancti in nobis sentimus et experimur, dimissionem peccatorum factam et Christi consummatam iustitiam imputari.

Hanc censuerunt formam iustificationis impii non ex patrum monumentis, sed ex istorum evangelio, qui fidem catholicam tunc perturbarent, profectam esse, certe sermonis formam lutheranam esse et philippicam, ab omnibus catholicis scriptoribus improbatam; posse illam fortasse sensu tolerabili accipi, attamen non hoc concedi debere adversariis, ut relicto patrum noto usitatoque dicendi modo catholici auctores peregrina suspectaque verba sequerentur; latere sub novitate ista venenum, neque alium inde sensum Lutheri asseclas relaturos nisi lutheranum, catholicos vero dubios anxiosque factum iri audientes, universitatem Coloniensem, catholicae fidei strenuam semper propugnatricem, iisdem fere verbis quibus Lutheranos de iustificatione hominis scribere. Exposita deinde de iustificatione doctrina in schola Lovaniensi continuo credita et tradita addunt theologi, mirari se, quod in articulo de duplici fiducia nulla fiat expressa mentio fiduciae operum, qua certo exspectemus futuram beatitudinem, cum hanc praecipue celebrent et scripta apostolica et evangelica et opera patrum; similiter in articulo de

---

[4]) Antididagma seu christianae et catholicae religionis per Reverend. et Illustr. dominos canonicos metropolitanae ecclesiae Coloniensis propugnatio, adversus librum quendam universis ordinibus seu statibus dioecesis eiusdem nuper Bonnae titulo Reformationis exhibitum ac postea (mutatis quibusdam) consultatoriae deliberationis nomine impressum . . . . Coloniae. Anno MDXLIIII.

[5]) Ioannes Gropperus ad Iulium Pflugium. Müller, Epistolae Petri Mosellani etc. ad Pflugium. Lipsiae 1802 p. 115.

[6]) Ad Pflugium l. c. p. 115.

[7]) Sequimur ordinem non epistolae, sed quem Gropperus in Defensione Antididagmatis tenet.

praemio et retributione bonorum operum non maiorem desiderant rationem habitam esse spiritus sancti operantis in membris Christi, cum hoc demum respectu vere agnoscatur, Deum iusto suo iudicio bene operantibus vitam rependere aeternam et non sola gratuita dignatione Dei. Neque etiam tituli de applicatione missae et de opere operato multis scrupulis carere videntur. Postremo affirmant, ne rumor vel falsus discordiae Colonienses inter et Lovanienses oriatur cum magno impiorum gaudio, piorum tristitia, abstinere se censura Antididagmatis; petunt tamen, ut congestores libri illius boni publici causa sententiam suam melius exactiusque explicent, quo omnibus appareat, sensum verborum procul abesse ab haeresi. Ipsis non inconsultum videbatur, si libro tam excuso quam iterum Lovaniae excudendo epistola adderetur, quae de his lectorem moneret paucisque instrueret.

Redditae sunt Lovaniensium literae facultati theologicae Coloniensi die 18. Iulii 1544, quae ut illis morem gereret, epistolam ipsam cum articulis notatis Capitulo metropolitanae ecclesiae Coloniensi tradiderunt poscentes, ut qui Capituli nomine et auctoritate Antididagma congesserant, quorum princeps erat Ioannes Gropperus [8]), omnes scrupulos removerent et scripta sua suspicionibus pravis eximerent. Nec difficile erat istud ipsum ab eis utpote viris piis orthodoxaeque fidei cumprimis studiosis impetrare. Et quamvis, quod Ioannes Vopelliu[s], episcopus Cyrenensis, per hoc tempus peregre egit, alii etiam maximis adeo rebus impliciti fuere, ut huic negotio quamlibet necessario non possent satis intendere, eorum responsionem nonnihil remoraretur, tamen paucis diebus post, i. e. die 25. Iulii, libellum multorum foliorum et praeter opinionem prolixam obtulerunt [9]), quem idem exaraverat Gropperus, id quod auctor ipse ad amicissimum sibi Iulium Pflugium, episcopum Numburgensem, scribens his testatur verbis: „Quam (epistolam) et illi, ut rationem scripti mei redderem, mihi tunc exhibuerunt, quorum petitioni, ut par erat, satisfacere volens, in quaestiones, quas mihi proposuerunt, responsionem scripsi satis longam, licet magis subito animi indignantis calore — nihil enim dissimulo — quam exacto iudicio. [10])

[8]) Huc referendum est quod habent „Acta rectoralia Universitatis Coloniensis“ ad 13. Ian. anni 1544 (apud Senden, de Ioanne Sleidano p. 61): „Quoniam Rev. Dns. noster emiserat quandam praetensam Reformationem, quam Teutonice appellavit: Eyn christlich Bedenken eyner christlyger Reformation, quae per Butzerum et Melanchthonem consuta scatebat omni haeresi, coactum est Insigne Capitulum mai. Eccl. eidem respondere, ad quod petivit sibi dari delectum ex univ. cum aliquot ex suo numero deputandis, suntque deputati ex Capitulo Mai. D. Bernhardus ab Hagen, Praep. S. Andr. et Cancell. Revmi, Dns D. Ioh. Gropper, Schol. S. Ger., uterque canonici maioris adiuncto D. Suffraganeo M. Ioh. Nopell Lippiensi, insigni viro, ex univ. Rector pro tempore, qui et pridem hisce negotiis interfuerat, magis ut disceret, quam ut consuleret, M. N. Henr. a Tungris, Pastor S. Mart, et M. N. Eberhard Byllyk, Prov. Carmel. Hi postquam congessissent Teutonice responsionem nomine Ins. Cptli, quam appellavit: Eyn christlich Gegenberycht, quae postea versa latine dicta est Antididagma, conclusum est per 4 decanos, ut privilegium impetratum praemitteretur penultima Ianuarii.“

Ita cum non solum theologi Colonienses in sua ad Lovanienses responsione „congestores eius libri“ commemorent, sed etiam Acta rectoralia deputatos ex capitulo et universitate „congessisse“ referant Antididagma, comprobari et firmari videtur, quod omnes adhuc narraverunt auctores, non unum solumque Gropperum, sed plurus librum illum exarasse. Cum tamen ipse Gropperus ad Iulium Pflugium scribens asserat, anno 1543 se scripsisse Antididagma librumque hunc „suum scriptum“ appellet, cumque nefas sit talem virum mendacii arguere, non errabit, qui iudicaverit, Gropperum non solum potiores partes habuisse in contexendo Antididagmate, sed solum eius fuisse auctorem, ceterosque vidisse tantum, legisse et approbasse, quod ille scripserat. Unde non immerito Pflugius Defensionem Antididagmatis vocare potuit „defensionem per authorem“ (vide infra). Similiter quamvis nemini dubium esse possit, quin solus Gropperus defensionem Antididagmatis congesserit, nihilominus theologi Colonienses Lovaniam rescripserunt, congestores Antididagmatis sibi obtulisse responsionem. Qui quod Acta rectoralia Coloniensia referunt attente legerit atque imprimis verba: „Hi postquam congessissent teutonice responsionem . . . . quae postea latine versa dicta est Antididagma“, non poterit assentiri Briegero (Ersch und Gruber, Encyclopaedie 92, 235, Anm. 54), quem secuti sunt Senden (l. c. 37) et Varrentrapp (Hermann von Wied 224), opinanti, viros illos adiunctos esse Groppero nonnisi ad editionem libri curandam.

[9]) Ita Colonienses in responsione Lovaniensibus data.

[10]) L. c. p. 115.

Inscripserat Gropperus libellum suum: Articuli Antididagmatis notati per theologos Lovanienses — Iulius Pflugius rectius: Defensio Antididagmatis per authorem —, quem inter chartas suas reiectitias delitescentem inventum describi fecit et descriptum anno 1552 ad episcopum Numburgensem misit ipsi, non aliis — quod facile auctori fraudi esse potuisset — legendum [11]), unde usque hodie inter chartas Pflugianas in bibliotheca Zizensi asservatur.

Quo scripto Gropperus totus in eo est, ut ostendat, „articulos notatos ad eum sensum, quo in libro ponantur, non dissentire a doctrina patrum ac ne a sententia quidem facultatis theologicae et neotericorum catholicorum scriptorum, ut illi per omnia magis consentiant, rursus adeo non accedere ad lutheranismum, ut illum potius quam validissime ex diametro oppugnent.“ [12])

Theologi Colonienses in responsione Lovaniam missa — quam ex chartis Pflugianis [13]) in lucem edimus infra sub No. II. — de Antididagmatis defensione hocce iudicium faciunt: „In qua primum explicarunt canonici sensum suum orthodoxum et catholicum, veteribus omnibusque catholicis scriptoribus consentaneum, quem ut verbis alienis nobisque minus usitatis redderent, non vanas neque otiosas dederunt causas Deinde magnam congesserunt silvam e scripturis veteris et novi testamenti ac patribus, sc. Cypriano, Origene, Hilario, Ambrosio, Augustino, Leone Magno, Eugipio, Chrysostomo, Theophylacto, Bernardo, Magistro Sententiarum aliisque pluribus, quo scribendi formam, qua utuntur, ostendant patribus fuisse in hac materia familiarem nec a scripturis sacris adeo abhorrere.“ Poterant Colonienses de hac „silva“ eandem ferre sententiam, quam paulo inferius de locis e patribus in Antidigagmate allatis: „Quod dicere solemus applicari nobis meritum passionis Christi, hoc viri illi expresserunt, imputari nobis iustitiam Christi. Quod nos fidem initium esse iustificationis omnisque virtuosae et meritoriae actionis, hoc illi dixerunt, fidem suscipere remissionem peccatorum, iustificationem, spiritum Cnristi omnesque a Deo iustitias. Dederunt quidem causas iustificationis non eodem quo nos ordine nec verbis eisdem cet.“ Nihil enim omnes isti loci valent ad probandam Gropperi sententiam, iustitiam ipsam Christi per fidem apprehendi, nobis imputari et esse potiorem causam formalem nostrae iustificationis.

Hisce praemissis subiungunt theologi:

> „Adferunt quoque et e recentioribus nostrae aetatis catholicis scriptoribus quosdam, in quibus sunt Ioannes Pighius et Ioannes Gagnaeius Parisiensis theologus, christianissimi regis Francorum ecclesiastes primarius, qui non dubitavit asserere, imputari nobis iustitiam Christi.“

Revera in Antididagmatis defensione Gropperus non solum Pighium — id quod non est mirum — testem suae opinionis affert, sed etiam Gagnaeium. Quaeritur, quo id iure faciat. Theologus ille Parisinus postquam inde ab anno 1531 Parisiis epistolas S. Pauli explicavit, ut animo Ioannis a Lotharingia Cardinalis, qui et ipse lectionibus interfuerat, Paulinae lectionis sitientissimo, satisfaceret, deinde omnium in aula doctorum hominum commoditati studeret, quibus gravem esse sciebat magnorum librorum sarcinam, scholia brevia et dilucida in epistolas S. Pauli exaravit et in enchiridii forma primum anno 1533, deinde auctiora multo et locupletiora anno 1543 in lucem emisit, quibus etiam in catholicas septem epistolas et in Apocalypsim scholia adiecit. Argumentum scribens epistolae ad Romanos varias quoque causas affert, cur apostolus, eorum ad quos scribit ratione habita, tantopere fidem commendet et inculcet, caritatis operum vix meminerit; de iustitia vero Christi

---

[11]) Gropperus ad Pflugium l. c. p. 115.

[12]) Ita Gropperus initio Defensionis.

[13]) Autographon, ni fallor, exstat Bruxellis in archivio regio inter literas facultatis theologicae fol. 3. ita inscriptum: „Epistola facultatis theologicae Coloniensis ad praecedentem responsiva, 27. Iulii 1544“.

eiusque per fidem apprehensione nihil omnino dicit, pauca de iustificatione operum et fidei, lectoremque remittit ad eos, qui ea aetate hac de re scripserunt, imprimis ad Albertum Pighium. „Quoniam vero, inquit, de iustificatione operum ac fidei plerique summa eruditione ac vigilantia scripserunt, quorum libri passim vaeneunt, non est visum operae pretium multas hic opplere paginas. Qui volet amplam non modo huius argumenti tractationem, sed et ceterorum qui hodie controvertuntur de fide articulorum, comparet sibi librum Alberti Pighii Campensis de controversiis in Ratisponensibus comitiis habitis. Quem ego librum omnibus legendum relegendumque arbitror, qui de doctrinis hodie controversis iuxta veterum orthodoxorumque patrum et universae ecclesiae traditionem sacrarumque literarum usum animo suo satisfactum cupiunt.“ [14]) Numquid inde sequitur, ut Gagnaeius illud etiam, quod Pighius de duplici iustitia docuerat, approbarit atque laudarit? Numquid dicere voluit, hanc etiam doctrinam esse „iuxta veterum orthodoxorumque patrum et universae ecclesiae traditionem sacrarumque literarum usum“? Videntur ita sensisse et Gropperus et qui hunc secuti sunt theologi Colonienses. Nos tamen in scholiis ad s. Pauli epistolas non invenimus, quod iure hoc sensu intelligi possit vel debeat.

Primum Gropperus Gagnaeium testem profert, ubi locum exponit epist. ad Rom. III.: „Deum, ait, decrevisse se non condonaturum homini peccata nisi interveniente consummata iustitia Christi pro nobis omnem iustitiam implentis. Hoc est enim, quod ait ad Rom. 3, Deum proposuisse Christum Iesum propitiatorem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiae suae, hoc est, ut se iustum ostenderet, dum non aliter reatum veteris Adam remittit quam satisfaciente pro eo consummata iustitia Christi obedientis ei usque ad mortem. Et sic in sanguine eius, quem pro omnibus, etiam inimicis, effudit (quae est summa iustitia) nostra peccata abluentis“. Ad hunc locum Gropperus in margine sua manu notavit: „Sic post veteres interpretatur Paulum Ioannes Gagnaeius Parisinus theologus neothericus.“ At Gagnaeius nihil simile habet, ut patet legenti et conferenti. En eius scholion in hunc locum: „Sanguinis effusione opus erat ad ostensionem et manifestationem iustitiae suae, ut se iustum ostenderet, dum ad eluendam veteris Adam noxam etiam proprio filio non pepercit et ad remissionem veterum delictorum, quae diu longanimis sustinuerat, ultionem dissimulans, ut in hoc tempore omnibus videlicet in infirmitate constitutis iustitiam suam ostenderet seque iustum esse in ulciscendo et iustificantem in condonando ei, qui in Christo credidit.“ [15]) Non potest esse dubium, quin Gagnaeius hoc loco de iustitia Christi tanquam causa meritoria, minime vero tanquam causa formali iustificationis loquatur, id quod manifestius fit ex eo, quod ad versum notat praecedentem, ubi cum Graecis iustitiam pro iustificatione sumens, „iustitia, inquit, Dei, id est iustificatio, quae nos iustificat et gratis per Christum peccata remittit . . ., quae quidem Dei iustitia et iustificatio per fidem Iesu Christi omnibus in eum credentibus adfertur.“

Iterum Gropperus scholia Gagnaeii in c. 4 ad Rom. laudat, ut demonstret, per imputationem iustitiae Christi remissionem et ablutionem fieri peccatorum. „Tu autem, inquit cum Chrysostomo et Theophylacto, si vacillas et dubitas, quomodo salvari possis, ob oculos mentis tuae statue eum, qui obliteravit peccata tua omnia, qui mortem obiit non ob suum proprium delictum, verum propter delicta mundi. Et paulo post: Tu itaque crede, quod Christus mortuus est et resurrexit, et imputabitur tibi etiam ad iustitiam.“ Legenti vero scholia Gagnaeii ne verbum quidem occurrit, unde possit deduci, theologum illum iustitiam Christi eodem sensu quo Gropperum intelligere; nam et hoc loco iustitiam sumit pro iustificatione et verba s. Pauli: „Abraham credidit et reputatum est illi ad

[14]) Brevissima et facillima in omnes divi Pauli epistolas scholia, ultra priores editiones ex antiquissimis Graecorum authoribus abunde locupletata. Authore Ioanne Gagnaeio Parisino Theologo. Parisiis 1543, in argumento epistolae ad Romanos.

[15]) L. c. p. 6.

iustitiam“ ita interpretatur: „Contextu praesentis capitis ostendit, Abrahae imputatam esse fidem ad iustificationem.“ [16])

Allatis igitur quasi innumeris patrum recentiorumque theologorum testimoniis, quibus, quamvis frustra, suam firmet ac muniat sententiam, satis superque Gropperus ostensum putat, quaecunque de iustificatione in Antididagmate asserantur, adeo non dissentire a doctrina patrum ac ne a sententia quidem facultatis Lovaniensis et eorum, qui ea aetate contra haereticos scripserint, ut potius illi per omnia consentiant, nihilque illic contineri de fide iustificante, quod a patribus et illius temporis scriptoribus catholicis non sit assertum prius, ita ut Lovanienses Antididagma in suspicionem peregrinitatis atque etiam veneni latentis vocantes non modo libro huic, sed veteribus ad unum omnibus scriptoribus, ex quibus is optima fide collectus fuerit, gravem iniuriae notam inurant. Tantum porro abesse, ut Antididagma, sive habitum et formam dictionis sive sententiam spectes, ad sensum Lutheranorum vergere atque accedere videatur, ut nihil scribi possit, quod cum lutheranismo magis pugnet, neque potuisse alia meliori ratione ea, quae obtensa Buceri Reformatione sint exposita, subverti quam illa, quae ipse in libro suo usus sit. Quod ut probet, ita prosequitur:

„Lutherani duplici ratione ecclesiam Dei infestant, una quod intolerabili impudentia catholicos falsissimis calumniis apud plebem traducunt, altera quod doctrinam catholicam adulteratione scripturarum convellere annituntur. Utrique malo in Antididagmate occurrendum erat ita ac tali verborum formula, quae illorum phrasi responderet. Nam alioqui nemo intellexisset, nos illis contraria et diversa dicere.

„Lutherani iustificationem impii, quae fit inbaptismo, cum iustificatione relapsorum vel in levia vel in enormia crimina post baptismum misere confundunt, dictum illud catholicum, quod habet, poenitentiam esse secundam post baptismum tabulam, periculosum atque adeo falsum esse asserentes, baptismum tota vita durare, alia ratione abolendi peccata post baptismum opus non esse, quam baptismi commemoratione et exercitio. Praeterea opera bona a ratione omnis iustificationis plane excludunt.

„Initio ergo necessarium erat ad refellendam tam pestiferam doctrinam ecclesiae catholicae sententiam de triplici seu quadruplici iustificatione e diverso statuere et iustificandi rationes exacte discernere.

„Rursus Lutherani et qui obtensum librum reformationis congesserunt omnem iustificationis modum unica tantum re constare dicunt, utpote remissione peccatorum per imputationem iustitiae Christi, qua re faciunt homines securos. Cum enim in rationem iustificationis non includant assumptionem in filios adoptionis, quae fit per spiritum persuadentem nos de summa Dei erga nos charitate, eo quod filium suum, dum adhuc inimici essemus, pro nobis dederit, Rom. 5 et 8, qua persuasione spiritus sanctus reddit testimonium spiritui nostro, quod sumus filii Dei, in quo clamamus Abba, pater. Rom. 8, Gal. 4. Item cum charitatem, quam spiritus sanctus nobis infundit, de forma iustificationis esse inficientur, sequi illam debere asserentes: debebant omnino ad retundendam tam crassam haeresim omnes partes iustificationis impii recenseri. Et ut hic aliis verbis quam Thomas Aquinas et ceteri scholastici (hoc est Paulinis) utamur, idem tamen quod re ipsa illi dicimus et ex scripturis liquido comprobamus. Nec tamen propterea, quod ea quae in obtensa illa Reformatione ut haeretica seu minus catholica reprehendimus, debuimus etiam damnare ea, quae non modo in literis apostolicis expressim docentur, sed etiam a patribus et ecclesia semper fuerunt recepta, immo quae talia sunt, ut in his tota salus totaque sapientia christianorum sit constituta, quale est, quod nobis in sanguine Christi remittuntur peccata, dum scilicet iustitia eius seu meritum nobis imputatur.

---

16) L. c. p. 6b.

„Coegit nos summa necessitas idipsum in Antididagmate diserte asserere, ut scilicet menda, cissimas calumnias adversariorum, quibus nos impudentissime traducunt, dispelleremus. Constat enim, quae in nos deblateret procacissimus ille Philippus in Apologia, ubi nobis impingit, quod neque sciamus, quid sit remissio peccatorum, neque quid fides, neque quid gratia, neque quid iustitia; quod obscuremus gratiam et beneficia Christi et eripiamus piis conscientiis propositas in Christo consolationes; quod iubeamus mereri primam gratiam per praecedentia merita et ita sepeliamus Christum, ne eo mediatore utantur homines et propter ipsum sentiant se gratis accipere remissionem peccatorum et reconciliationem, quod nihil aliud sit, quam Christum abolere et totam fidei doctrinam tollere. Quin et provocat nos, ut proferamus vel unicum commentarium scholastici scriptoris ex tanto agmine, qui de modo regenerationis dixerit.

„Ad has falsissimas calumnias (puto) non existimabit facultas Lovaniensis nobis prorsus fuisse tacendum, ne nos videremur agnoscere. Et quis non novit, Lutheranos nulla re magis quam talibus mendaciis ecclesiae et catholicis incommodare, ut nihil nostra tempestate magis referat, quam eiusmodi probrosa et prodigiosa mendacia toti mundo cognita facere.

„Deinde necesse erat fidem, qua disponimur et praeparamur ad iustitiam per veram poenitentiam et contritionem, discerni a fiducia, qua accipimus remissionem, ad explodendam philippicam insaniam, qui in annotationibus in I. ad Corinth. asserit, fidei nomen simplex esse et unius tantum significationis et cavendum esse sophistarum morem discernendi vocabula in tot modos. Praeterea necesse erat tradere, fiduciam esse causam susceptivam iustificationis, ad alium errorem philippicum damnandum, cum asserit, fiduciam minime proprie esse eam iustitiam, de qua concionatur evangelium, cum Paulus dicat iustitiam revelari in evangelio per fidem, nam fidem proprie esse iustitiam.

„Renovationem spiritus sancti per diffusionem charitatis in corda nostra necesse erat includere in rationem iustificationis, eo quod Philippus aliter docet, nempe sequi illam tantum oportere. Quo fit, ut cum suo Luthero iubeat fidem tantum respicere in promissionem, et eo ipso quod quis promissioni credit (tametsi quis sit contaminatus omni genere criminum), statim et in momento absorberi omne peccatum nulla habita ratione renovationis. Et in Ioannem: fidem simpliciter imputari pro iustitia, qualiacunque sint opera. Oportebat itaque ad damnandum hunc errorem docere, nos non aliter praesumere debere, nobis per imputationem iustitiae meritum (?) sanguinis Christi remissa esse peccata, nisi interiori quodam experimento renovationis et charitati[8], quemadmodum Bernardus docet, de hoc certificati simus . . . .“

His ita disputatis Gropperus „videant ergo, inquit, nunc theologi Lovanienses, num forma iustificationis impii, quam Antididagma proponit, profecta sit ex illorum evangelio, qui nunc perturbant fidem catholicam; num sermonis forma et habitus lutherana sit; num ea cum fide iustificante improbetur per omnes catholicos, quotquot contra Lutheranos scripserunt, et num non alium sensum ex Antididagmate sint relaturi lutheranismi studiosi nisi lutheranum, et pii non aliud, quam ut permoti auctoritate scribentium incipiant dubitare, anne fides Lutheranorum sit vere evangelium, quando audiant illam sequi (si diis placet) universitatem Coloniensem. O censuras, iudicia!“

In ceteris, quae Lovanienses vituperaverant, eos non sine quadam sermonis amaritudine remittit ad ipsum Antididagma, et postremo hunc disputandi finem facit:

„Et quoniam facultas petiit, ut congestores Antididagmatis sese explicarent, ne a me quid desideretur, explicavi meam sententiam, qua puto illis satisfactum iri. Utinam eadem opera vicissim satisfactum esset nobis et causae Christi et ecclesiae Dei iudicio facultatis (quod negari non potest) praecipitantiori quam eam deceat graviter laesae. Non satisfacient autem aliter, nisi ut iacturam,

quam inique iudicando et prohibendo[17]) intulerunt, aequiore calculo et iudicio publico contrario resarciant."

Hanc Gropperi defensionem „cum accepissent theologi Colonienses, mitigati rescripserunt Lovaniensibus librum illum in suspicionem raptum cum auctore excusantes." [18]) Cum autem responsio non solum praeter opinionem prolixa esset, verum etiam Lovaniensium literas nimia libertate reprehenderet, visum est facultati Coloniensi libellum supprimere nec Lovaniam transmittere, ne maior inde disputatio oriretur. Quam suppressionem Gropperus et qui cum eo delecti erant adeo non iniquo tulerunt animo, ut etiam quod fecerunt theologi probare viderentur. Ne tamen, quid de articulis notatis sentirent, tacerent, responsionem dederunt Lovaniensibus illam, quam in appendice subiungimus. Legenti facile apparebit, theologos non pauca argumenta sua fecisse, quae Gropperus in defensione Antididagmatis, ut librum suum sententiamque tueretur, attulerat.

Qualem Coloniensium literae eventum habuerint, nescimus. Publici autem iuris neque illae theologorum epistolae neque Gropperi defensio Antididagmatis unquam factae esse videntur, quanquam nonnulli nostri temporis auctores, qui Gropperi ad Pflugium epistolam saepe laudatam legerunt, saltem censurae Lovaniensium mentionem faciunt. [19])

Quaeri hic potest, num Gropperus suam de duplici iustitia sententiam, quam primum in Enchiridio docuerat, latius clariusque in Antididagmate exposuerat, defensione Antididagmatis denuo novisque argumentis stabilire conatus erat, etiam postquam concilium Tridentinum spinosam illam materiem decretis sessionis sextae satis exacte explicavit et definivit, retinuerit. Cuius rei ipse anno 1552 ad Pflugium scribens aliquam rationem reddit. Cum enim episcopus Numburgensis eum rogavisset, ut in quaestione illa, quae inter catholicos et lutheranos theologos veluti omnium controversiarum maxima inde ab exordio schismatis exagitata erat, quid sentiret de iustitia Christi imputativa, quam solam urgerent Lutherani, et cuius catholici vix mentionem fieri permitterent, secum communicaret, respondens Gropperus recte distinxit, quid olim sensisset et quid nunc sentiret. Postquam deinde Enchiridii et Antididagmatis meminit, ita prosequitur: „Denique idem (sc. quid olim docuerit) satis significat Isagoge mea ad pleniorem cognitionem doctrinae catholicae ecclesiae, quam Institutioni puerili editae anno 1550 subiunxi." [20]) In illa igitur Isagoge iustificationem definit esse „mirificum illud opus, quo Deus ex iniusto et impio per gratuitam suam misericordiam remissis merito Christi peccatis iustum facit et pium, sed non imputatione, ut fingunt haeretici, sed vera communicatione et impartitione iustitiae Christi, qua mens et voluntas eius, qui iustificatur, occulta inspiratione imbuitur et transformatur, ut iam sentiat[21]) se iustitia quadam inhaerente ferri, non desideriis carnalibus, sed spiritualibus." [22]) Potest hic locus eodem sensu intelligi, quo patres Tridentini unicam iustificationis causam formalem statuerunt, nempe iustitiam Dei, qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo renovati renovamur spiritu mentis nostrae. At non est necesse ita intelligatur. Verbis illis „non imputatione sola" et „vera communicatione et impartitione iustitiae Christi" Gropperus innuere videtur, id quod tamen non satis explicat, duplici modo hominem impium iustificari, videlicet et iustitia Christi imputata — non sola, ut haeretici fingant — et iustitia inhaerente, quae efficiatur

---

17) Iulius Pflugius in margine notavit: „Prohibuerunt impressionem Antididagmatis."

18) Gropperus ad Pflugium l. c. p. 115.

19) Ita Döllinger, Reformation III, 310, Brieger, Varrentrapp. Cfr. supra.

20) Ad Pflugium l. c.

21) Cfr. Defensio ad art. 4: „Imperfectio iustitiae inhaerentis facit, quod ea principaliter niti neque possimus neque debeamus, sed quod tantum confiteamur, nobis talem renovationem interiori experientia iam sentientibus remissa esse peccata per Christum."

22) In Editione Coloniensi a. 1550 p. 537.

vera communicatione et impartitione iustitiae Christi, dum concilium Tridentinum iustitiam Christi appellat causam iustificationis meritoriam. Manifestum est, Gropperum verba illa Isagoges scribentem concilii Tridentini decretum de iustificatione in mente habuisse, sed vix errabit qui dixerit, ex illis ipsis verbis opinionem, quam olim habuit de causa formali iustificationis, etiam tum pellucere. Id quod comprobari videtur, ut praetermittam quod legimus in epistola dedicatoria libro de Institutione catholica praemissa de Enchiridio: „Cuius adhuc laboris me non omnino poenitet", eadem, quam saepius laudavimus, ad Pflugium epistola. „Ita, ait, tum (i. e. cum scriberet Antididagma) sentiebam. Nunc mihi aliter de hac re sentire non licet, quam nuper determinatum est in sacro concilio Tridentino, in decreto quintae (!) sessionis, ubi §. quid sit iustificatio impii et quae eius notae etc., licet unicam patres faciant causam iustificationis formalem, nempe iustitiam Dei, non qua ipse iustus, sed qua nos iustos facit, tamen si non tantum verborum corticem, sed mentem eorum exactius rimemur, non multum a sententia Antididagmatis dissentiunt, quando inquiunt: iustificatos non modo reputari, sed et vere iustos nominari, hoc ipso satis aperte confitentes, in iustificatione imputationem iustitiae Christi cum inhaerente iustitia concurrere, quod et sequentibus verbis faciunt manifestius, quando sanctissimae Christi passionis merito et eius applicationi (quae nihil aliud est, quam imputatio illa iustitiae Christi per fidem) remissionem tribuunt peccatorum, etsi hanc remissionem solam non recipere nos sine iustitia inhaerente diffusa in cordibus nostris per charitatem definiant". [23])

Visa est igitur Groppero anno etiam 1552 sua de duplici iustitia doctrina cum definitione Tridentina concordare vel saltem ab ea non longe abesse. [24]) Nondum enim videt, quae sit differentia inter communicationem meriti Christi et imputationem iustitiae Christi, vel causam inter meritoriam et formalem iustificationis. [25]) Heu quam difficile est, conceptam semel opinionem deserere vel etiam mutare! Nec tamen Gropperus in animo habet, suam sententiam quovis modo, etiam repugnante et contradicente universa ecclesia, tenere et tueri, sed laudabiliter se subiicit synodi generalis iudicio, unde epistolam ad Iulium Pflugium hisce tanto viro dignis verbis concludit: „Res magna, Rev. Praesul, gravissima et perdifficilis, a qua propemodo tota pendet controversia, et proinde mei ingenioli

23) Ad Pflugium l. c. p. 116.

24) Dici potest de eo, quod Pallavicinus (Hist. Conc Trid. VIII, c 11, n. 12) de Seripando, qui in concilio duplicem tutabatur iustitiam, scribit: „Nimis aegre ferebat, suum huiusmodi inventum deserere quasi filium, quem undique oppugnatum videret. Liquet tamen ex multis eius defensionibus, ipsum per novas interpretationes exceptionesque more militis veterani ab adversariis pressum retro cedere quidem, sed fronte semper adversa."

25) Cfr. Defensio Antididagmatis ad art. 3: „Hoc quidem verum est, iustitiam Dei, qua iustus est Deus, eatenus quatenus in Deo extra nos est, non posse proprie dici causam formalem iustificationis nostrae. Sed quid vetat, quominus eam formalem iustificationis causam dicimus, quatenus Deus illam credentibus per fidem applicat, ut ea applicatione remissionem et absolutionem peccatorum (qua imprimis iustificatio constat) nobis impertit? Certe hanc proprie formalem causam rei dicimus, quae dat esse rei et qua fit, ut res talis dicatur. Hoc vero sola iustitia Christi, quatenus ea nobis per fidem applicatur seu (ut Augustinus dicit) quatenus ea per fidem induimur, facit, ut coram Deo, obtenta scilicet remissione peccatorum in sanguine Christi, iustificati dicamur. Nam charitas, quae remissis peccatis infunditur, non est forma remissionis peccatorum, quae plane gratis, nullis praecedentibus meritis, donatur, sed tantum innovationis nostrae, quam Antididagma facit tertiam partem iustificationis impii." Recte in concilio Tridentino de iustitia Christi tanquam causa meritoria nostrae iustificationis episcopus Acciensis „meritum Christi, inquit, applicatur, non placet, quia effectus meriti Christi nobis applicatur ad meritum", [Theiner, Acta genuina conc. Trid. I. 229.] et Salpensis: „Communicatur et imputatur, non placet, quod in principio quodammodo decreti innuatur, quod iustitiae Christi imputatione nos iustificamur" [L. c. p. 232.], praeclare Minoricensis: „Iustificatur homo iustitia inhaerente donata sibi a Deo formaliter; sed haec iustitia nobis donatur per meritum iustitiae Christi, qua ratione dicitur, iustitia Christi nobis imputatur, quia per eam et propter eam Deus largitur nobis iustitiam nobis propriam et inhaerentem, qua vere, non imputative, iusti sumus et iustificamur. Itaque non sunt duae iustitiae." [L. c. 232.]

(quod semper in obsequium fidei, quam sacra synodus proponit, libenter redigo) vires longe transcendens, ea de re finem facio, relinquens meam infantiam excellenti sapientiae, doctrinae et pietati Rev. Celsitudinis Vestrae (cuius iudicio libenter sto) exactius expendendam et iudicandam.“ [26])

I.

Epistola S. Facultatis th. Lovaniensis ad Facult. theol. Coloniensem 9. Iulii 1544 super doctrinae quibusdam capitibus, quae in libro per canonicos Colonienses edito, cui titulus: Antididagma, continebantur.

S. p. in Christo, prostare apud nos ceperat, paucis superioribus diebus Antididagma, editum per Reverendos et Illustres Canonicos Colonienses, idemque per eiusdem studii Rectorem et Universitatem comprobatum: liber qui multa quidem docte, prudenter et christiane proponit, sed ad cuius lectionem multi nostrum fuerunt nihilo minus offensi, atque ita offensi, ut communicatis aliquoties inter nos consiliis ambigeremus, utrum hic distrahi vulgo expediret propter loca quedam, in quibus nostro quidem iudicio ac salva reverentia aliis quibuslibet debita nimium recceditur a doctrina ex patribus per ecclesiam catholicam recepta, cum interim liber pre se ferat, quasi e scripturis et patribus fideliter sit excerptus quasique omnia in ipso sint antiquorum. Sed magis etiam offendebat, quod alicui prima statim specie vergere videretur ad heresim quandam nostri temporis, etiamsi nos quidem species hec non ita movet, ut de synceritate fideli academie istius preclarissime ullo modo dubitemus. Sed tamen veremur interim, ne hec ipsa species offendiculo sit aliis ad lutherana presertim non nihil per se propensis. Nam c. de iustificatione nostra proponuntur quedam, que sicut cum protestantium dogmatibus non simpliciter conveniunt, ita valde iudicio nostro accedunt, videlicet quod ipsa primum remissionem et ablutionem peccatorum per imputationem iusticie Christi includit. Item quod fit per iusticiam Christi consummatam tanquam causam formalem potiorem, quando eadem nobis per fidem illam apprehendentem imputatur ad iusticiam. Rursum quod fide, qua absque dubitatione firmiter confidimus nobis, qui veram peccatorum penitentiam habemus, peccata nostra propter Christum esse dimissa (de quo tamen oportet intrinsecus per fidem spiritus sancti testimonio testificatos, sive ut legendum ex sequentibus putamus certificatos nos esse) iustificamur tanquam per causam susceptivam iustificationis. Quodque iusticia inherenti, eo quod sit imperfecta, non innitimur principaliter, sed ea tanquam interiori quodam experimento certificamur nobis, qui talem renovationem spiritus nostri in nobis sentimus et experimur, remissionem peccatorum factam et Christi consummatam iusticiam nobis imputari. Nos in patrum monumentis legere non meminimus, ubi loca, que huc ex Epist. ad Roma. 4, ad Gala. 3 et 10 (spectant), hoc sensu sint exposita de iustificatione, que fit per fidem in sanguine Christi et redemptionem, que est in Christo, quin putamus hanc formam iustificationis impii primum profectam esse ex istorum evangelio, qui nunc perturbant fidem catholicam. Certe sermonis habitus ac forma lutherana est et philippica, quam una cum fide hac iustificante improbant, quotquot eam ex catholicis contra lutheranos scribendo tractaverunt, quorum argumenta et scripturas putamus probabiliter dissolvi non posse. Iam ut possint fortasse que annotavimus sensu utcumque tolerabili accipi, tamen non decet nos vel hoc adversariis concedere, ut relicta patrum nota usitataque loquendi consuetudine in civitate nostra, hoc est ecclesia catholica, peregrinitatem suspectam sequamur, maxime cum et sensus orthodoxus explicari commodius possit forma et verbis aliis et sub novitate ista certo venenum lateat.

---

[26]) L. c. p. 116.

Nec vero alium sensum referent hinc lutheranismi studiosi, nisi lutheranum et pii scribentium authoritate permoti dubitabunt forsitan, an fides a lutheranis inducta sit vere evangelica et proposita iuxta scripturas, posteaque sequi eam, rumore ut fit, audient universitatem Coloniensem, catholice fidei strenuam semper propugnatricem. Nos de iustificatione docemus id, quod post veteres schola hec nostra semper est secuta, nec aliud tradi apud vos credimus: fieri eam dispositive per veram penitentiam sive displicentiam veteris vite cum proposito melioris et nove, profectam ex fide et spe venie per redemptionem, que est in Christo Iesu, consummari vero eandem per susceptionem sacramenti baptismi aut penitentie, que sacramenta infirmitati humane a Christo instituta in hoc credimus, ut per ea accipiamus remissionem peccatorum et iustificationem. Iusticiam formalem autem docemus esse charitatem dei et proximi aut (?) cum ea inseparabiliter coniunctam, hanc doctrinam a patribus accepimus in ecclesia catholica, nec ab ea libenter varietate ulla recedimus, patresque dicimus Ambro., Aug., Leonem primum pontif., Chrysos., vere columnas firmissimas, quibus tutissime nitimur. Porro de rebus istis nihil dubitamus, quin idem sentiatis et ipsi, tametsi sermo diversum sonare videtur festinantibus per precipitationem, ut interpretamur, elapsus. Alioquin quod iusticia Christi tanquam formali causa iustificemur, hactenus nobis inauditum est, nisi quo sensu res create dicuntur nonnumquam bone bonitate dei et sapientes sapientia dei, figura nimirum loquendi platonica, que eadem est et apud Dionys. Areopag. Quo sensu facile agnoscimus per Christi iusticiam nos formaliter iustos esse et per sapientiam eius sapientes. At longe aliud sentiunt, quorum est dogma de fide apprehendente et iusticia imputativa. Miramur et hoc, quod c. sequenti cum diligenter proponatur distinctio fiducie, nulla fiat expressa mentio fiducie operum, quatenus per ea consequimur bravium, ut Paulus loquitur, superne vocationis dei in Christo Iesu, cum hanc precipue celebrent scripture apostolice et evangelice; sed et Chrysos., quo loco in libro citatur, proponit eam, et alias frequentissime stent et veteres reliqui (?). Denique super hac sola fiducia cum adversariis hodie confligimus, ac locus ex reformatione citatus, propter quem distinctio proponitur, vehementer postulabat disertam mentionem fieri eius fiducie, qua certo fidimus et exspectamus futuram beatitudinem ex gracia dei et meritis nostris. Similiter in locis, que mentionem habent remunerationis bonorum operum, cuperemus maiorem rationem habitam spiritus Christi operantis in nobis membris Christi, qui idem operabatur in Christo. Nam hoc respectu vere agnoscitur deus iusto suo iudicio rependere bene operantibus vitam eternam, et non sola gratuita dignatione dei. Iam quod proponitur de applicatione misse quasi ex doctrina ecclesie catholice, et capite sequenti de opere operato et operante quasi ex Innocentio et doctoribus scholasticis, videtur nobis scrupulis multis non carere, ut quidem in libro exponitur. Propter hec igitur et que preterimus alia si quis e nostris librum edidisset, supprimendum hic iudicassemus. At nunc alio nos vocat necessaria ratio. Nam intelligimus, quam perniciosum foret, si quis rumor vel falsus oriretur discordie inter Colonienses et Lovanienses, et quid optabilius accidere queat impiis et quid tristius piis omnibus? Quare ad extremum huc confugimus, ut literis ad vos perscriptis rogemus, ut que offendere possunt procurantibus vobis sic per Antididagmatis congestores boni publici respectu explicentur, ut omnibus appareat sensum procul ab heresi abesse. Id enim facile vobis fuerit amicis apud amicos et orthodoxis apud orthodoxos. Porro fiducia maiore hoc fecimus, quia peroratio libri huc ultro invitat et sane facile fieri potuit, ut tantopere festinantibus excideret aliquid, cui postea declaratione aliqua opus esset, sicut prefando significat etiam capitulum. Ac scripturi eramus capitulo atque etiam universitati, sed iudicavimus votum hac in re nostrum per vos iisdem melius aperiri posse. Ut finem faciamus, petimus ex animo, ut rescribere nobis mature dignemini et exponere sensum animi vestri. Quod si non procul abestis, ita ut putamus, a sensu nostro significare, quid optimum factu iudicetis, quo amoveatur omne quantum fieri potest offendiculum, nobis non inconsultum videbatur, si libro tam excuso quam iterum apud nos excudendo, nam cepit hic quidam

excudere, epistola adderetur, que super his lectorem moneret paucisque instrueret etiam, verum facere noluimus, nisi quesita prius sententia eorum, quos in hac re decet requirere et agnoscere. Valete. Lovanii nona Iulii anno XVc XLIIII.

Decanus et reliqua S. theo. facultas Lovaniensis. Sit supra scriptum.

Venerabilibus ac circumspectis viris ac do. domino decano et relique S. theol. facultati apud Colonienses.

II.

Exemplar literarum facultatis theolog. Coloniensis ad Lovanienses in causa Antididagmatis XXVI. Iulii anno 1544.

S. P. in Christo. Literas vestras, quibus nostram de Antididagmate nomine Rev.dorum ac Illustrium Dominorum Ecclesie Metropolitane Coloniensis nuper vulgato sententiam rogatis. accepimus primum 18. Iulii. Nec quicquam potuit nobis in hac rerum omnium tempestate iucundius accidere, quam videre in vobis commune nobiscum studiorum propositum contra communes fidei christiane adversarios hereticos, quibus undique infestamur, et vos ea adhuc esse integritate, ut ne minima quidem pretereunda censeatis, unde possit mali alicuius occasio aut dari vestratibus, aut non data accipi tamen. Felici et florenti studiorum vestrorum successui tranquillitatique ex animo congratulamur, nec de alio credimus epistolam vestram animo profectam, quam qui sacratissime religionis ac fidei nostre tuende zelo totus ferveat. Proinde licet non levibus argumentis comperta nobis sit congestorum eius libri fides atque integritas, cuius iam preclara de se specimina (que nullam hereseos labem et ne suspitionem quidem possint admittere) ediderunt, volentes tamen, quod in nobis erat, votis vestris satisfacere, que vos offenderent eisdem quam religiosissime fieri poterat proposuimus poposcimusque, ut scrupulos omnes amoverent et sua scripta suspitionibus pravis eximerent. Nec difficile erat istud ipsum ab eis utpote viris piis orthodoxeque fidei cumprimis studiosis impetrare. Nonnihil tamen eorum responsionem remorabatur, quod R$^{\text{dus}}$ D. Epp$^{\text{s}}$ Cyrenensis per hoc tempus egit peregre, quidam etiam eorum maximis adeo rebus implicati fuere, ut huic negotio quamlibet necessario nequiverint hac vice intendere. Obtulerunt autem nobis 25. huius mensis responsionem suam multorum foliorum et preter opinionem prolixam. In qua primum explicarunt sensum suum orthodoxum et catholicum veteribus omnibusque catholicis scriptoribus consentaneum, quem ut verbis alienis nobisque minus usitatis redderent, non vanas neque ociosas dederunt causas. Deinde magnam congesserunt silvam e scripturis veteris et novi testamenti ac patribus, sc. Cypriano, Origene, Hilario, Ambrosio, Augustino, Leone Magno, Eugipio, Chrysostomo, Theophylacto, Bernhardo, Magistro sententiarum aliisque pluribus, quo scribendi formam, qua utuntur, ostendant patribus fuisse in hac materia familiarem nec a scripturis sacris adeo abhorrere. Adferunt quoque et e recentioribus nostre etatis catholicis scriptoribus quosdam, in quibus sunt Ioan. Pighius et Ioannes Gagnaeius Parisiensis theologus, christianissimi regis Francorum ecclesiastes primarius, qui non dubitavit asserere imputari nobis iustitiam Christi.

Postremo adversus has vestras literas maiori cum libertate, quam velimus pacis ac tranquillitatis causa publice, nonnihil expostulant. Qua de causa visum nobis fuit responsionem eorum supprimere nec ad vos transmittere, ne maior inde disputatio oriretur. Si crescant enim (quod Deus avertat) hinc disputationes, frequententur et contentiones et lites, que librariorum licentia foedissimam perniciosissimamque reipublice christiane futuram publicationem non evadent, siquidem omnis contentio parit defensionem. Et verissimum est quod ait quidam: Nimium altercando amitti nonnunquam

veritatem. Porro delecti hanc suppressionem adeo non iniquo tulerunt animo (ut sunt tranquillitatis publice amantissimi), ut etiam quod fecimus probare videantur.

Sed tamen de articulis, quos annotastis, quid nobis videatur, paucis accipite. Forma nobis ac habitus sermonis displicet, et ne nobis quidem admodum arridet, sed ferenda hoc tempore putamus, cum propter convincendos hereticos, contra quos agitur suis vocibus, tum propter vulgus, cui potissimum hic liber scriptus est, cuius si scopum intueamur et scribentium intentionem conferamusque posteriora prioribus, et quod uno aliquo in loco minus dictum est, de alio suppleatur, arbitramur ipsos authores ab omni prorsus hereseos suspitione facile liberari, ac librum ipsum commode et christiane legi intelligique posse. Neque vero mirum est, si in tanta festinatione aliquid incautis exciderit, quod in sensum diversum ab improbis capi possit. Alioqui bonos illos viros hac suspitione gravare, quasi commune aliquid cum hereticis eis esset, nobis nimium crudele et atrox videtur.

Deinde disciplet quatuor articulis repetita vox: imputari nobis iustitiam Christi, nec iniuria, cum sit hactenus in scholis nostris ea vox inaudita et hereticis nimium usurpata. Verum eo devenimus modo loci, ut non de verbis admodum simus solliciti, modo constet de sententia, que absque dubia pia et catholica est. Quod enim dicere solemus, applicari nobis meritum passionis Christi, hoc viri illi expresserunt, imputari nobis iustitiam Christi. Quod nos fidem initium esse iustificationis omnisque virtuose et meritorie actionis, hoc illi dixerunt, fidem suscipere remissionem peccatorum, iustificationem, spiritum Christi omnesque a Deo iustitias. Dederunt quidem causas iustificationis non eodem quo nos ordine nec verbis eisdem (quanquam hanc questionem nemo scholasticorum proprie, quod sciamus, exequatur), verum id ut facerent, non libidine aliqua neque studio novitatis sunt permoti, sed non contemnendis adacti rationibus. Neque enim iam hic scholastice cum adversariis certatur, et vulgus aliter in religionis officio nequibat contineri, nisi scripture sacre et patrum verbis illis, que iam audiebat ab hereticis passim iactari. Hereticis circumcircum sumus obsessi, tenent vestibula omnia, licenter et impune in nos debacchantur, vulgus censet et iudicat. Non iam e longinquo, sed e proximo audiuntur voces in nos declamantium: nos sepelire Christum, excludere verum et proprium mediatoris officium, propriam iustitiam statuere nec institie Dei esse subiectos, aliaque infanda et insana Contra vero se beatos et iustificatos predicant et sola fide mediatoris eis ipsis, qualescumque tandem vita sint et moribus, suam iustitiam imputantis. Hic necesse erat imputationem non preterire et iustificationis reddere plures causas quam solam fidem. Quis tantis malis aliter occurreret? Fecit idem Pighius in controversia secunda, que est de fide et iustificatione, fecit et in Galliis clarissimus theologus Ioannes Gagnaeius, fecerunt et alii plerique, nec tamen ob id sunt a quoquam reprehensi.

Quod vero iustitiam Christi causam formalem faciunt priorem, non ideo factum est, quod velint significare, iustitiam Christi inherere anime nostre sicut in materialibus formam materie, sed imitatione physicorum, qui formam appellant quod dat rei suum esse suamque appellationem. Constat autem iustitiam christianorum suum esse (videlicet ut sit iustitia) habere non aliunde, quam ex Christi merito, unde et appellationem habet. Neque enim appellamur moraliter tantum, sed et christiane iustificati. Est quidem inventio ista, sicut recte per vos notatur, hactenus inaudita, verum si admittimus sensum delectorum, non periculosa neque suspecta. Cetera que monetis, non sunt forsan qualia metuitis, ut quod in capite de duplici fide non fiat mentio fiducie operum, quatenus per ea consequimur bravium superne vocationis. Nulla fraude nomen fiducie subticetur, res enim, si diligenter Antididagmatis verba expenduntur, clare satis traditur ex apostolis Petro, Paulo et Ioanne ibidem citatis. Neque item spiritus Christi, qui in membris suis operatur, adeo negligitur, quin si evolvatur liber, passim occurret tam frequens eius mentio, ut hinc nullam sibi metuat obtrectationem.

Atque hec sunt, que in libro displicebant. Ceterum qualiscumque sit, hoc nobis prestitit, ut nondum supervaleant adversum nos heretici. Videbantur profecto universi huius diocceseos ordines in sententiam episcopi concessuri, quod quominus factum sit, post Dei optimi benevolentissimique servatoris gratiam et sanctorum, quos hic colimus, intercessionem, huic certe libro proxime debetur. Sed et alibi passim in Germania plurimi viri graves et magni, plerique etiam, ut de plebanis taceamus, in omni disciplinarum genere docti, quibus nihilominus scholastica forma iamdudum in fastidio est, hoc Antididagmate ceu antidoto quodam a pestifera hereseos lue servati sunt, alii in religione confirmati, quidam etiam e sectariis nobis restituti. Iam quid futurum putatis, si per vos eripiatur istis hic liber et vocetur in suspicionem? Potissimum hic ubi clavum gerit archiepiscopus hereticis addictus et idem rerum quoque temporalium moderatur habenas. Quid putatis hic nobis spei reliquum futurum, si aut dissidium inter nos aut vobiscum huius libri causa oboriatur? Protritis autem nobis quid de reliquis qui post nos restant speratis? Nos sumus vobis pro vallo et muro adversus hereticos, nobis enim subversis egre vestra defensabitis. Expendite, an conveniat vobis vallum discindere, disiicere muros, quod ex libri suppressione non gratis metuimus.

Proinde qui grave et illamentabile discrimen hinc metuimus, petimus obsecramusque, ut publici boni respectu verba libri, qualiacunque sint, commode accipere et interpretari velitis, ut experiatur hic liber in vobis, quod ex s. patribus quidam, qui eadem aut simili loquutionis forma sunt usi. Nec ulla ratione supprimatis, sed ut dissimulanter eos, qui vobis non magno sane numero advecti sunt, permittatis distrahi ac divendi, quo sic perniciosa fama, ad quam exultare ceperunt adversarii, evanescat.

Ceterum quod putatis hinc adversarios sensum suum (hoc est hereticum) relaturos, hoc et ipsi negant adversarii, quibus angue peius hic liber exosus est, et iam parare feruntur obiectiones novaque exemplaria instaurari, acciti enim sunt Bonnam quotquot hic venales erant typographi. [1]) Deus omne bene vertat. Nec metus est ullus, ne propter ea que annotastis suspicetur aliquis libri authores adversariis consentire eorumque firmare seutentiam, cum totus liber meras contineat antitheses et in hoc sit perpetuus, ut catholica hereticis dogmatibus ex diametro opponat.

Rursus itaque precamur, ut nobis, imo reipublice christiane prudenter consulere dignemini. Si qua in re unquam clarissimo collegio vestro, dominis et fratribus nostris amantissimis colendissimisque, vicissim gratificari poterimus, ultro vices rependemus. Deus vos ad ecclesie sue ornamentum conservet et a periculis, qualia nobis imminent, securos reddat.

Colonie Agrippine 26. Iulii. Anno 1544.

Decanus et reliqua sacre Theologie
facultas Coloniensis vestri Confratres.

---

[1]) Ediderunt paulo post grandem librum contra Antididagma, quem inscripserunt: Votum de Reformatione etc. Sic in margine Pflugius. Significare videtur Buceri librum a. 1545 Bonnae editum: „Bestendige Verantwortung" etc.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Hugo Weiss, P. P. O., h. t. Decanus.

I. Introductionem generalem in sacros V. et N. Testamenti libros dabit horis deff.
II. Prophetarum minorum vaticinia selecta interpretabitur bis hebdomade hora VIII.
III. Evangelii Johannei reliquam partem necnon S. Pauli epistolam ad Romanos explicabit ter hebdomade hora VIII.
IV. Repetitiones exegeticas instituet horis deff.

Dr. Henricus Oswald, P. P. O.

I. Doctrinam de „rebus novissimis“ seu eschatologiam exponet ter quaterve hebd. hora X
II. Repetitorium examinandi et disputandi causa instituet semel hebd. die sabbati hora X.

Dr. Franc. Dittrich, P. P. O.

I. Historiam ecclesiasticam recentioris temporis enarrabit quinquies hebd. hora IX.
II. De arte christiana disseret semel hebd. hora IX.

Dr. Julius Marquardt, P. P. O.

I. De virtutibus theologicis deque cultu religionis disseret quinquies hebd. hora XI.
II. Repetitiones et disputationes de selectis ethices christianae capitibus instituet semel hebd. hora XI.
III. Pauca de patrologia praefatus vitas et opera patrum apostolicorum enarrabit hora def.

Dr. Antonius Kranich, P. P. E.

I. Apologetices priorem partem bis hebd. tradet horis deff.
II. De Deo Creatore quater nebd. dogmatice disseret horis deff.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Jos. Krause, P. P. O., h. t. Decanus.

I. Introductionem in studium philosophiae tradet bis hebdomade hora X.
II. Logicam et noëticam docebit ter hebdomade hora X.
III. Exercitationes paedagogicas moderabitur semel hebdomade.

Dr. Wilh. Weissbrodt, P. P. O.

I. Euripidis Iphigeniam Tauricam bis hebdomade interpretabitur hora IX.
II. Inscriptiones graecas et latinas bis hebdomade explicabit hora IX.
III. Exercitationes philologas moderabitur horis definiendis

Dr. Franc. Niedenzu, P. P. O.

I. Plantarum familias maxime notabiles explicabit bis hebdomade hora VIII.
II. Exercitationes morphologico-botanicas moderabitur semel hebdomade hora VIII.
III. Excursiones ad observanda vegetabilia instituet semel hebdomade hora definienda.
IV. Selecta physices capita experimentis illustrabit bis hebdomade hora VIII.

Dr. Victor Röhrich, P. P. E.

I. Historiam Warmiensem enarrabit ter hebdomade hora XI.
II. Historiam universalem inde ab anno 1789 tradet bis hebdomade hora XI.
III. Germaniam septentrionalem describet semel hebdomade hora XI.

Certamen literarium et praemia.

Renuntiatio judiciorum de certamine literario a commilitonibus Lycei Regii Hosiani anno superiore inito et quaestionum in annum currentem propositarum promulgatio.

Ordo Theologorum pro certamine literario has proposuerat quaestiones:

I. Ex instituto Regio:

Explanetur celebre illud Vincentii Lerinensis: Quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est, hoc vere catholicum est.

II. Ex instituto Scheill - Busseano:

Pacis Osnabrugensis qui ad res ecclesiasticas pertinent articuli historia duce explicentur et illustrentur.

De priore quaestione una dissertatio Ordini oblata est, his insignita verbis s. Augustini (de vera relig. c. 7.): „Tenenda est nobis christiana religio et ejus ecclesiae communicatio, quae catholica est et catholica nominatur, non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis.“

Hanc dissertationem qui exaravit, quamvis de re proposita hic illic non satis dilucide disputaverit, Commonitorium tamen diligenter perscrutatus dictum illud Vincentinum sollerter examinavit et recte plerumque exposuit, quare Ordini Theologorum praemio dignus visus est.

Schedula reclusa nomen prodiit:

B. W. Switalski, stud. theol.

De posteriore quaestione duae commentationes Ordini traditae sunt, altera inscripta verbis Tertulliani (Apolog. c. 4): „Nulla lex sibi soli conscientiam justitiae suae debet, sed cis, a quibus obsequium expectat“; altera insignita verbis illis (Matth. 16, 18): „Et ego dico tibi, quia tu es Petrus etc.“

Auctor libelli sententia Tertulliani inscripti non inepte originem processumque juris reformandi principum descripsit, articulos plerosque pacis Osnabrugensis explicavit ponderavitque, summum pontificem justis de causis complures pacti articulos reprobasse ostendit. Sed ut praetermittamus sermonem persaepe obscurum parumque latinum, ne in ipsa quidem rerum investigatione et enarratione articulorumque explanatione eam, quam decuit, curam adhibuit; recessus Spirensis a. 1526, ad quem principes perpetuo provocabant, mentionem fecit nullam.

Alterius commentationis scriptor, praemissa introductione eaque nimis prolixa et ad rem parum pertinente, breviter satisque accurate de origine et progressu juris reformandi principum disputavit, articulos instrumenti pacis recensuit apteque disposuit omnes, recte exposuit et examinavit paucos. Ceterum et hoc opusculum, sive sermonis formam et habitum sive enarrandi explicandique modum respicias, mendis non levibus laborat.

Unde Ordo Theologorum, quum neutrum omni ex parte, utrumque magna ex parte rei propositae satisfecisse judicaverit, utrique dimidiam partem praemii constituti addicere decrevit.

Rescissis chartis nomina prodierunt prioris auctoris: Gustav Majewski, stud. phil.,
posterioris auctoris: Bruno Neudenberger, stud. theol.

Ordo Philosophorum hanc quaestionem proposuerat:

Inscriptiones christianae nuper repertae explicentur.

Una commentatio Ordini subjecta est, insignita verbis hisce: „Ipsa ecclesia semper eadem docens audiatur.“ August. c. Jul. I. 21.

Recte sic inscripsit, qui conscripsit commentationem. Nam titulorum christianorum, quotquot in catacumbis romanis et in ceteris orbis antiqui regionibus reperti sunt, argumentum summatim reddidit. Scripsit emendate. Quapropter Ordo eum praemio constituto dignum esse censuit.

Rescissa schedula nomen prodiit:

Johannes Sowa, stud. theol.

In currentem annum hae quaestiones proponuntur

ab Ordine Theologorum.

I. Ex instituto Regio: St. Ambrosii de poenitentia doctrina explicetur.

II. Ex stipendio Scheill-Busseano: Imagines et inscriptiones in sepulcris catacumbarum repertae quid doceant de sorte animarum earumque cum vivis mutua relatione.

Ab Ordine Philosophorum.

Ex instituto Regio: Demonstretur, quorundam philosophorum doctrinam, quae „positivismus“ vocatur, a materialismo nomine, non re differre.

Certantium commentationes latino sermone conscribendae et usque ad festum Nativitatis D. N. J. Chr. h. a. Rectori, consueto modo obsignatae, sunt tradendae.

Publica doctrinae subsidia.

I. Bibliotheca, cui praeest **Prof. Dr. Weiss,** commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris hora II—III.

II. Apparatum arti christianae illustrandae inservientem custodit **Prof. Dr. Dittrich.**

III. Sculpturarum veterum imagines gypseas custodit **Prof. Dr. Weissbrodt.**

IV. Instrumenta collectionesque, quae ad physicen, mathematicam, astronomiam et historiae naturalis disciplinas pertinent, asservat necnon horto botanico praeest **Prof. Dr Niedenzu.**

Rescissis chartis nomina prodierunt prioris auctoris: Gustav Majewski, stud. phil.,
posterioris auctoris: Bruno Neudenberger, stud. theol.

Ordo Philosophorum
Insc xplicentur.

Una commentatio O iisce: „Ipsa ecclesia semper eadem
docens audiatur.“ August. c

Recte sic inscripsit, a titulorum christianorum, quotquot
in catacumbis romanis et i eperti sunt, argumentum summatim
reddidit. Scripsit emendate. ituto dignum esse censuit.

Rescissa schedula no

In currentem annum

I. Ex instituto Regi ina explicetur.
II. Ex stipendio Sc tiones in sepulcris catacumbarum
repertae quid doc m vivis mutua relatione.

Ex instituto Regio: um doctrinam, quae „positivismus“
vocatur, a materialismo nomi

Certantium comment e et usque ad festum Nativitatis
D. N. J. Chr. h. a. Rectori, ndae.

Publ bsidia.

I. Bibliotheca, cui praecst patebit diebus Martis et Veneris
hora II—III.
II. Apparatum arti christiar **Prof. Dr. Dittrich.**
III. Sculpturarum veterum ir **Weissbrodt.**
IV. Instrumenta collectiones astronomiam et historiae naturalis
disciplinas pertinent, ass **Prof. Dr Niedenzu.**

© The Tiffen Company, 2007
TIFFEN Gray Scale
A 1 R 2 G 3 4 B 5 6 M W 8 9 G 10 11 K 12 13 C 14 15 Y B 17 18 M 19